MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80601-4

AUTHOR: GEMOLL, ALBERT

TITLE: SPECILEGIUM CRITICUM....

PLACE: WOHLAU

DATE: 1876

Master Negative #

92-80601-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Gemoll, Albert, 1847-
...Specilegium criticum in Scriptores historiae Augustae, von... Dr. Gemoll... Wohlau, Leuckart, 1876.
13 p. 25 cm.

At head of title: III. Programm des Städtischen gymnasiums zu Wohlau...

31346

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 12½ X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6/20/92 INITIALS BK
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202






Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

III.

Programm

des

Städtischen Gymnasiums zu Wohlau,

durch welches

zu der

Freitag, den 7. April, von 8 Uhr Vormittags an

abzuhaltenden

Prüfung sämmtlicher Klassen

die städtischen Behörden, die Eltern der Schüler, wie alle Gönner und Freunde des Gymnasiums

ehrerbietigst einladet

Dr. G. Eitner,

Gymnasial-Direktor.

Inhalt:

Wohlau, 1876.
Druck von Albert Leuckart.

1876. Programm № 167.

HADRIANI

c. 16 (ed. Berol. p. 15, 20): versus a Floro poeta ad Hadrianum conscripti extant hi:

ego nolo Caesar esse,
amblare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

cui Hadrianus lepidissime respondit:

ego nolo Florus esse,
amblare per tabernas,
latitare per popinas,
culices pati rotundos.

e Flori uersibus unum ac tertium quidem periisse primus O. Jahnius e similitudine utriusque carminis egregie perspexit. idem etiam addere potuit, cum Hadrianum artissime uestigia Flori pressisse appareat, haud dubie uersum illum deperditum initium cepisse a uerbis

latitare per . . . .

quare in textum recipienda censeo.

c. 24 (p. 23, 13): *Hadrianus autem ultimo taedio iam adfectus gladio se transfigi a seruo iussit. quod cum esset proditum et in Antonini usque notitiam uenisset, ingressis ad se praefectis et filio rogantibusque ut aequo animo necessitatem morbi ferret, iratus illis auctorem proditionis iussit occidi. qui tamen ab Antonino seruatus est statimque testamentum scripsit. nec tamen actus rei publicae praetermisit dicente Antonino parricidam se futurum, si Hadrianum adoptatus ipse pateretur occidi. et post testamentum quidem iterum se est conatus occidere.* illis, quae distentis litteris exprimenda curaui, uerbis ordinem nexumque sententiarum corrumpi, Robertus Bononiensis rectissime iudicauit. idem uero quod ea post *seruatus est* inseruit, non aeque laudari potest. etenim *qui tamen ab Antonino seruatus est* sequente *dicente Antonino* etqs. ualde displicet. idem cadit in Mommseni u. cl. inuentum, qui quidem uerba *statimque — praetermisit* post *iussit occidi* posuit. rectius uerba *dicente — occidi* leguntur post *necessitatem morbi ferret.*

MARCI

c. 5 (46, 29): *tunc primum pro Annio Aurelius coepit uocari. quod in Aureliam hoc est Antonini adoptionis iure transisset.* ita codd. et edd. sed ante *Aurelium*, ut leuitate librarii cuiusdam omissum, *familiam* inserendum est. cf. Veri c. 2 (67, 21): *post septimum annum in familiam Aureliam traductus Marci moribus et auctoritate formatus est.*

paulo superius in eodem capite (p. 46, 19) manifesto falsa inueniuntur haec: *his ita se habentibus cum post obitum Lucii Caesaris Hadrianus successorem imperii quaereret nec idoneus utpote decem et octo annos agens Marcus haberetur, amitiae Marci uirum Pium Hadrianus ea lege in adoptionem legit, ut sibi Marcum Pius adoptaret,* [*ita tamen ut et Marcus sibi L. Commodum adoptaret*]. Uerba postrema uncis inclusi. Etenim dubitari nequit, quin Pius et Marcum et Verum filiorum loco adoptauerit, ita ut alter alterius frater esset. cf. Hadriani c. 24 (22, 27), Pii c. 4 (35, 23). Non contra facit Veri c. 3 (68, 7) quem locum explicatione unice uera addita iam exscribere iuuabit: *hic cum tantis deliciarum et luxuriae quateretur erroribus, ab Antonino* (scil. Pio) *uidetur ob hoc retentus, quod eum pater* (scil. Hadrianus) *ita in adoptionem sibi transire iusserat, ut eum* (scil. Verum) *nepotem appellaret* (scil. Hadrianus). ita haec esse interpretanda probatur eiusdem uitae c. 2 (67, 1): *a quo Aurelio* (h. e. Antonino Pio) *datus est adoptandus, cum sibi ille* (scil. Hadrianus) *Pium filium, Marcum nepotem esse uoluisset, posteritati satis prouidens* etqs. omni autem dubitatione res eximitur epistulis Marci Verique in Auidii Cassii uita seruatis, ubi Marcus c. 2 (p. 77, 14) Hadrianum auum Veri, Verus autem (c 1 p. 76, 17) Pium Marci patrem auum suum nominat, h. e. adoptione Verus frater, affinitate filius Marci factus est, quippe qui illi Lucillam filiam in matrimonium collocauerit. denique idem Verus passim frater Marci dicitur. itaque rectissime se habent, quae in eiusdem Marci uita c. 7 (p. 48, 17) leguntur: *Antonini mox ipse nomen accepit et quasi pater L. Commodi esset et Verum eum appellauit addito Antonini nomine filiamque suam Lucillam fratri despondit.* is igitur, qui haec notauit, non et illa uerba, de quibus quaestio est, *ita tamen, ut et Marcus sibi Lucium Commodum adoptaret* scripsisse potest. ea potius glossema librarii nescio cuius obiter iudicantis haberi possunt. miror autem, quod idem Jordanus, qui in Aelii Veri uita c. 5 (30, 14) in uerbis: *eius est filius Antoninus Verus, qui adoptatus est a Marco uel certe cum Marco* offendit, locum nostrum intactum reliquit.

cc. 18 et 19 absque dubio loco mouenda et post finem c. 19 collocanda sunt. Sane nemo, quod sciam, uirorum doctorum de ordine rerum in hac uita narratarum dubitauit. nihilo minus autem non ueri esse simile existimo auctorem in media uita enarratione rerum interrupta de funere et successore (cc. 18 et 19), deinde de rebus post Veri obitum actis (20—27) ac postremo demum de morbo ultimo et morte eius (28) egisse. accedit, quod ea, quae c. 19 exeunte ad Diocletianum scripta extant, conclusioni totius uitae aptissime dicta uidentur. denique et ultimum enuntiatum c. 17 truncatum aetatem tulit: *tam magnanimus fuit, ut centum leones una missione simul exhiberet et sagittis interfectos ......*, et in fine c. 19 manifesto corrupta extant: *etiam si philosophia nec Plato esse possit, si reuertatur in uitam. et quidem haec breuiter et congeste.* quam ob rem equidem puto duo folia archetypi ligamento forte laxato ex fine huius uitae transposita esse in mediam. ita demum patet, quomodo factum sit, ut subscriptio huius uitae a ceteris plane abhorreat. leguntur enim in fine c. 29 haec: *finit uita finita uita antonini philosophi incipit eiusdem uerus feliciter.*

AVIDII CASSII

uitae c. 1 (p. 76, 8): *hic ergo Cassius ex familia, ut diximus, Cassiorum qui in ciuilium conspirauerant* etqs. *ciuilium* antiquitus in *C. Julium* transformatum est idque nouissimi horum scriptorum editores adripuerunt, propius uero ad codicum scripturam accedere uidetur *d* (h. e. divum) *Julium*. c. Aelii Veri c. 7 (32, 1) *omnes qui post Caesarem dictatorem, hoc est diuum Julium, uel Caesares uel Augusti uel principes appellati sunt* etqs.

DIDII IVLIANI

c. 6 (117, 12): *et Julianus sperans Laetum fautorem Seueri, cum per eum Commodi manus euasisset, ingratus tanto beneficio iussit eum occidi. sperans* mihi inepte dictum uidetur. uide ne *suspicans* sit scribendum.

SEVERI

c. 8 (126, 9): *Aemilianus dehinc uictus in Hellesponto a Seueri ducibus Cyzicum primum confugit atque inde in aliam ciuitatem, in qua eorum iussu occisus est.* [*fusae sunt item copiae ab iisdem ducibus etiam Nigri*]. c. 9 *his auditis ad senatum Seuerus quasi confectis rebus litteras misit, dein conflixit cum Nigro eumque apud Cyzicum interemit caputque eius pilo circumtulit.* uerba uncis inclusa non interpolata esse non possunt. etenim eis seruatis tria existunt proelia, primum cum Aemiliano, alterum cum Nigri copiis, tertium cum ipso Nigro commissum. id quod refutatur Nigri c. 5 (141, 27): *a quo causa eorum, quos occiderat cum Aemiliano hostis est appellatus. dein a ducibus Seueri per Aemilianum pugnans uictus est. et cum illi tutum exilium promitteret, si ab armis recederet, persistens iterum pugnauit et uictus est atque apud Cyzicum circa paludem fugiens sauciatus et sic ad Seuerum adductus atque statim mortuus. huius caput circum latum pilo* etqs. neque Seueri auctorem aliter iudicasse inde colligi potest, quod legitur *dein conflixit cum Nigro*, non uero *denique conflixit cum ipso Nigro.*

c. 20 (134, 23): *nam unum* (scil. Antoninorum) *parricidium, alterum sui mores rei publicae inuiderunt sanctumque illud nomen* (h. e. Antoninorum) *in nullo diu bene mansit.* codd. et edd. exhibent. nihilo minus corruptelam inesse his uerbis ac scribendum conicio *diu remansit.*

c. 22 (136, 3): *ipse somniauit quattuor aquilis et gemmato curru praeuolante nescio qua ingenti humana specie ad caelum esse raptum cumque raperetur, octoginta et nouem numeros explicuisse.* nescio an auctor scriperit *expleuerit*, secuntur enim, haec: *ultra quot annos ne unum quidem annum uixit* etc.

CARACALLI

c. 6 (164, 24) *conscii caedis fuerunt Nemesianus et frater eius Apollinaris Recianusque qui prafectus legionis secundae parthicae militabat et qui equitibus extraordinariis praeerat, non ignorantibus Marcio Agrippa, qui classi praeerat et praeterea plerisque officialium impulsu Martialis.* nec in his uerbis omnia recte se habere arbitror. Nemesiani et Marcialis nullum, Reciani duplex munus commemoratur. atque hoc quidem ita, ut repetitum *qui* suspicionem moueat, ne altera Nemesiani dignitas alius fuerit et errore tantum librariorum in illum delata sit, siue illa ad Nemesianum uel Martialem siue ad alium coniuratum in textu omissum pertinebat.

c. 7 (192. 10): uersuum in Commodum dictorum

Commodus Herculeum nomen habere cupit.
Antoninorum non putat esse bonum,
expers humani iuris et imperii,
sperans quin etiam clarius esse deum,
quam si sit princeps nominis egregii:
non erit iste deus nec tamen ullus homo

ultimo *non* in *nunc* mutandum esse uidetur. Etenim non hanc exprimere uoluit poeta sententiam Commodum adsumpto Herculis nomine nec deum nec hominem esse futurum, immo, ni fallor, plane ironice annuit illum deum hac ratione fieri posse, hominem autem hoc est humani animi negat.

c. 8 (p. 193, 29): *ex qua* (scil. epistula) *apparet, quam asper futurus* fuerit *iuuenis, si uixisset. fuerit* inserui ex Auidii Cassii c. 14 (86, 13), ubi haec leguntur: *haec epistula eius indicat, quam seuerus et quam tristis futurus fuerit imperator.*

HELIOGABALI

c. 10 (p. 201, 18): *erat praeterea idem Zoticus, qui hoc familiaritatis genere abutens omnia Heliogabali dicta et facta uenderet fumis quam maxime diuitias enormes (enormae* B. teste Jordano) *sperans.* Zoticum non tam diuitias sperasse quam reuera parasse crediderim, itaque e lectione alterius codicis *enormes parans* effingendum esse conicio.

paulo inferius eodem capite (201, 28) libri mss. haec exhibent: *nubsit et coiit ut et pronubem haberet clamaretque 'concide Magire'* etqs. *pronubem* Jordanus recepit, Peterus vulgatam lectionem *pronubum* retinuit. neutrum recte. *pronubem* esse corruptum Petero concedo, latet uero non *pronubum* sed potius *pronubam.* Etenim nefarius ille homo eo impudicitiae processit, ut uel Zotico uel simili uiro nescio cui nuberet et per pronubam illi in matrimonium uel potius coitum foedissimum collocaretur.

c. 16 (p. 205, 27) locum conclamatum non quidem prorsus in integrum restituere, sed aliqua certe parte sanare me posse confido. Extant enim in libris mss. haec: *sed milites et maxime praetorianus uel scientes qui mala in Heliogabalum parauerant uel quod sibi uiderent inuidiam factaque conspiratione ad liberandam rem publicam primum conscii genere mortis, cum alios uitalibus exemptis necarent, alĭos ab ima parte confoderent, ut mors esset uitae consentiens. post hoc in eum impetus factus est* etqs. prima uerba ad *factaque* usque corrupta esse apparet. Peterus *uelscientes* in *ulciscentes* mutandum esse coniecit. non recte. cf. c. 14 (203. 30): *cum in ipsum magis conuersa sint tela, quae parabat aliis ab hisque sit interfectus, quibus alios adpetebat.* nec Jordanus omne punctum tulisse uidetur, qui *timeret* e *uideret* confecerit et *que*, quod *facta* adiectum est, aeque ac Peterus deleuerit, quoniam ne ita quidem rectum enuntiatum exoriatur. Ceterum nec ea, quae secuntur, sana sunt. Salmasius quidem pro *conscii genere mortis* scripsit *consciuere mortem his.* quod plane quidem ingeniosum, sed a scriptura codicum nimis remotum est. quae cum ita sint, *factaque* seruari et statui debere puto, in hoc loco duplicem inesse hiatum, priorem post *inuidiam* alterum post *conscii.* denique pro *uitalibus* rectius *genitalibus* scribendum est. etenim *bene uasati* illi et pathici plectuntur eisdem partibus, quibus peccauerant. alii ab ima parte hoc est a posteriore perfodiuntur, alii *exemptis genitalibus* necantur, *ita ut mors esset uitae consentiens.*

c. 26 (p. 212, 15) scribo: *post contionem pronuntiauit his quasi militibus ternos aureos donatiuum petiitque (petitque* codd.) *ab his ut a dis peterent, ut alios* (scil. aureos) *haberet ipsis commodandos. commendandos* libri mss. et edd. cf. Getae c. 2 (p. 170, 13): *simul quod nemo ei uideretur felicior imperator ad commodandum nomen* etqs.

c. 33 (217, 5): *fecerat et altissimam turrem substrotis aureis gemmatisque ante se tabulis, ex qua se praecipitaret, dicens etiam mortem suam pretiosam esse debere et ad speciem luxuriae, ut diceretur nemo sic perisse.* tabularum substratarum minus recte hoc loco mentio fit. nescio an auctor scripserit *tapetis. aurea tunica* commemoratur c. 23 (p. 209, 30).

ALEXANDRI SEVERI

c. 8 (p. 223, 30): *ne quaeso, patres conscripti, ne me ad hanc certaminis necessitatem uocetis, ut ego cogar tanto nomini* (*tantum omni* codd.) *satis facere, cum etiam hoc ipsum nomen, licet peregrinum, tamen grauare uideatur.* uerba distentis litteris expressa mihi suspecta sunt. primum enim ratio, qua *peregrinum nomen* et uerbum grauandi inter se opponuntur, inepta est. non enim peregrina sed magna grauant nomina. deinde sententia, quam modo postulauimus, sequitur: *haec enim nomina insignia onerosa sunt.* denique plane similia rectius leguntur c. 9 (p. 225, 3): *sed primum displicet alienae familiae nomen adsumere, deinde puod grauari me credo.* quae cum ita sint, ea, de quibus quaestio est, uerba e c. 9 a quodam homine ad marginem adpicta posteaque in textum recepta esse arbitror.

c. 21 (232, 15): *milites suos sic ubique sciuit, ut in cubiculo haberet breues* [*et numerum et tempora militantium*] *semperque cum solus esset et rationes eorum et numerum et dignitates et stipendia recenseret, ut esset ad omnia instructissimus.* uerba uncis inclusa expungenda sunt. etenim et numerus et tempora militantium paulo post commemorantur. Huc accedit quod breues et numerus et tempora artissime copulantur, cum, quae Alexander Seuerus e breuibus dedicerit, indicentur uerbis *et rationes et numerum et dignitates et stipendia.* Jordanus sicco pede hanc rem transiit. Peterus Casauboni inuentum in textum suum recepit, qui quidem post *militantium indicantes* inseruerit; neque uero tamen hac ratione numerus et tempora et stipendia militantium magis placent bis commemorata. ceterum uerba *et rationes* suspicionem meam mouerunt: nescio an scribendum sit *stationes*, eo scil. sensu, quo hoc uocabulum apud Ammianum Marcellinum saepissime occurrit.

c. 23 (233, 28): *idem tertium genus hominum eunuchos esse dicebat nec uidendum (uiuendum B.) nec in usu habendum a uiris, sed uix a feminis nobilibus. uidendum* languet, fortasse scribendum sit *emendum.* Porro *nobilibus* displicet. Secuntur vero haec: *qui de eo fumos uendiderat et a quodam militari centum aureos acceperat, in crucem tolli iussit* etqs. desideratur igitur *uno de eis*, quod uide ne pro *nobilibus* substituendum sit.

c. 25. (234, 23) scribo: *opera ueterum principum instaurauit, ipse noua multa constituit, in his thermas nominis sui iuxta eas quae Neronianae fuerunt. aqua inducta, quae Alexandriana* (sic. codd.) *adhuc dicitur. nunc* libri mss.

c. 26 (235, 13): *senatores si fenerarentur, usuras accipere primo uetuit, nisi aliquid muneris causa acciperent. postea tamen iussit, ut semisses acciperent, donum munus tamen sustulit.* ita codd. Casaubonus aut *donum* tollendum aut *munusue* scribendum censuit. illud probauit Mommsenus. mihi uero *donum* ex *omne* deprauatum uidetur ideoque restituendum *acciperent. omne munus* etqs.

c. 27 (236, 5): *in animo habuit omnibus officiis genus uestium proprium dare, et omnibus dignitatibus, ut a uestitu dinoscerentur et omnibus seruis, ut in populo possent agnosci, nequis* (*nequi* libri) *seditiosus esset, simul ne serui ingenuis miscerentur. nequis seditiosus esset* non corruptum esse non potest. etenim seditionis causa uestibus singulis conditionibus hominum propriis nec absumebatur nec minuebatur, sed fieri potuit, ut hoc more recepto in ipsa seditione homines facilius agnoscerentur. quare corrigendum fuerit *si quis seditiosus esset.*

c. 37 (243, 13): *pomis uehementer indulsit, ita ut secunda (secundum* B, ante corr. P.) *mensa illi saepius ponerentur, unde etiam iocus extitit non secundam (secundum* B ante corr.) *mensam Alexandrum habere secundum (se secundum* P). ita fere libri. haec esse corrupta manifestum est. sunt enim satis illepida. nec uero lectione ed. principis, quae *sed secundum* exhibet, iocus inest. reiciendum quoque Salmasii *non secundam mensam Alexandrum habere sed secundo*, utpote quod ualde frigeat. scribe potius, si me audis: *non nisi secundam mensam Alexandrum habere secundum.*

c. 41 (247, 8): *habuit sane in Palatio unum genus uoluptatis, quo maxime delectatus est et quo sollicitudines publicas sublevaret. nam auiaria instituerat pauonum, fasianorum, gallinaceorum, anatum (natum* Codd.) *perdicum* [*etiam hisque uehementer oblectabatur*] *maxime palumborum, quos habuisse usque (ut* libri) *ad uiginti milia dicitur.* uerba uncis inclusa interpolata iudico. etenim illud *etiam*, quod post *perdicum* legitur, ineptum est. *hisque uehementer oblectabatur* male repetitum e superius dictis *quo maxime delectatus est.* quod uero attinet ad *palumborum*, non uideo, quo seruatis eis, quae antecedunt, uerbis, referri possint. quare meo iure haec e medio sustulisse mihi uideor. *usque* scripsi. cf. c. 39 (244, 20): *potandi usque ad quinque pocula* et saepius. *ut* librorum Jordanus deleuit, Peterus in textum recepit Salmasium secutus, qui graecam loquendi rationem minus apte me iudice comparauit.

c. 49 (252, 11) leguntur haec: *Necesse est, ut qui emit* (scil. dignitates) *et uendat. ego non patiar mercatores potestatum et eos quos si pariant damnare non possum. erubesco enim punire illum hominem, qui emit et uendidit. et eos* deleuit Salmasius nulla exigente necessitate. Idem minus recte, si quid uideo, iuris formula *pariant* lucem afferre uoluit. latet ni fallor *mercantur.*

c. 60 (260, 6): *tribunal ascendit concionaretur et faustum aliquid diceret ita coepit 'occiso imperatore Heliogabalo.'* ita libri mss. iam antiquitus ante *concionaretur* insertum est *ut* idque editores adripuerunt. uerum tamen dubito, num hoc uerbo opus sit. etenim altior huic loco corruptio in est: imperatorem tribunal ascendisse *ut faustum aliquid diceret* et ignorasse illa uerba non esse fausta credat Judaeus Apella. rectius paulo post: *hoc tamen omini fuit, quod iturus ad bellum milites adloqui minus fausta oratione coeptauerat.* quare expunctis uerbis *faustum aliquid diceret* pro *concionaretur concionaturus* scripserim.

MAXIMINORVM

c. 2 (II., 2, 6): *natali Getae, filii minoris Seuerus militares dabat ludos propositis praemiis argenteis id est armillis torquibus* e t *balteolis* pro *balteolis* substituendum uidetur *phaleris*. proponuntur enim a Seuero dona militaria ut apparet e sequentibus (2, 13): *tunc Maximinus sedecim lixas uno sudore deuicit sedecim acceptis praemiis minusculis non militaribus* scil. quia nondum militauit. dona militaria autem saepissime in lapidibus inueniuntur haec: torques armillae phalerae.

c. 10 (8, 1): *et genus factionis fuit tale. cum ponte iuncto in Germanos transire Maximinus uellet, placuerat ut contrarii cum eo transirent, pons postea solueretur etqs. contrarii* non ferendum, corrige *coniurati*.

c. 12 (9, 19) libri exhibent: *per quadraginta quinquaginta milia germanorum uicos incendimus, greges abduximus* etqs. Salmasius coniectura effecit *quadraginta et quinquaginta*, recentiores melius *quadraginta uel quinquaginta*, neutrum tamen recte. paulo superius (9, 5) eodem capite inuenimus haecce: *ingressus igitur Germaniam transrhenanam per triginta uel quadraginta milia barbarici soli uicos incendit, greges abegit.* hoc loco *incendit* in libris Mss. omissum, sed iam in ed. princ. ex illis epistulae Maximini uerbis, de quibus agitur, additum est rectissime. sed nemini uirorum doctorum, quod sciam, in mentem uenit, cum cetera ad uerbum fere congruant, nec numeros diuersos fuisse posse. equidem statuerim et hoc loco auctorem *XXX uel XL* scripsisse, a librariis uero omisso *uel* XXXXL intellecta litterisque facta esse.

c. 19 (14, 11): *tunc Capellianus uictor pro Maximino omnes Gordiani metu partium in Africa interemit atque proscripsit nec cuiquam pepercit, prorsus ut ex animo Maximini uideretur haec facere.* ita codices et Peteri editio perperam. Casaubonus *metu* deleuit uel potius *motu partium*, cum illius tempore legeretur *omnes Gordiani partium motu partium in Africa*. Salmasius distinctione locum curare studebat, qui quidem scripsit *omnes, Gordiani metu partium, interemit*. Eyssenhardtius deleto *metu partium in Africa* difficultates, quae insunt huic loco, non soluit. Scribendum potius *omnes Gordianarum partium*.

c. 29 (p. 22, 25): *usus est autem et idem adulescens et aurea lorica exemplo Ptolemaeorum. usus est et argentea. usus et clypeo gemmato inaurato et hasta inaurata. fecit et spatas argenteas, fecit etiam aureas et omnino quidquid eius pulchritudinem posset inuare. fecit et galeas gemmatas fecit et bucculas.* postrema uerba post *hasta inaurata* textui inserenda uidentur.

GORDIANORVM

c. 6 (29, 13): *et erat quidem longitudine Romana, canitie decora et pompali uultu, ruber magis quam candidus, facie bene lata, oculis ore fronte uerendus. bene lata* corruptum mihi quidem uidetur, fortasse legendum est *geniata*. cf. Veri imp. c. 10 (74, 11): *fuit decorus corpore, uultu geniatus, barba prope barbarice demissa, procerus et fronte in supercilia adductiore uenerabilis.*

c. 9 (31, 14): *in plurimis autem libris inuenio et hunc Gordianum et filium eius pariter imperatores appellatos et Antoninos cognominatos alii uero Antonios.* postrema uerba interpolata sunt. cf. eiusdem uitae c. 4 (28, 21): *tantum autem Antoninos dilexit, ut sibi quoque ut multi Antonini, ut plerique autem adserunt, Antonii nomen adscripserit* et c. 17 (p. 37, 2): *Gordianus iunior hic* (codd. *hoc*) *Gordiani senis filius . . . . litteris et moribus clarus fuit praeter nobilitatem quam, ut nonnulli, ab Antonininis, ut plurimi, ab Antoniis duxit.* Illis, de quibus quaeritur, uerbis structuram enuntiati confundi apparet, quare Peterus scripsit *in aliis*. Sed nihil mutandum est. etenim cum duobus, quos contulimus, locis disertis uerbis dictum inueniamus, Gordianos a nonnullis tantum Antoninos, a plerisque Antonios cognominatos esse, facere non possumus, quin his uerbis eiectis scriptorem huius uitae purgemus. item

c. 19 (38, 19) expunctis uerbis *si pranderet* ita legendum censeo: *cibi parcus, ita ut intra punctum temporis uel prandium* [si pranderet] *uel cenam finiret.*

MAXIMI ET BALBINI

c. 2 (53, 16): *ille quadrato agmine castris ubique positis ad urbem tendit* etqs. ubique non ex animo auctoris dictum uidetur, quippe qui non id exprimere uoluerit, illum castra ubique posuisse, hoc est itineribus tardatis cautisque profectum esse, sed id potius, si quid uideo, eum quam celerrime *castris ubicumque positis* exercitum adduxisse.

c. 6 (56, 6): *uultu grauissimus et retorridus, statura procerus, corporis qualitate sanissimus, moribus aspernabilis ac tamen iustus* etqs. ita codd. et edd. nihilo minus *aspernabilis* non ferendum est. Maximus enim non aspernabilis h. e. contemnendus moribus erat, utpote qui paulo superius dicatur *cibi auidus, uini parcissimus, ad rem Veneream nimis rarus, domi forisque semper seuerus.* sane si Salmasium audis, *aspernabilis* idem est quod *contemptor*. quod ut probem, a me impetrare non possum. potius scribendum censeo *moribus asperioribus*.

c. 11 (59, 19): *hecatombe autem tale sacrificium est. centum arae uno in loco caespitiae extruuntur et ad eas centum sues centum oues mactantur. iam si imperatorium sacrificium sit, centum leones, centum aquilae et cetera huius modi animalia feriuntur.* post *oues centum boues* excidisse uidetur. boues certe in hecatombarum descriptione uix desiderari posse mihi persuasum est.

GALLIENORVM

c. 19 uel Salonini Gallieni c. 1 (p. 87, 19) hiat oratio, siquidem ea, quae antecedunt, ad solum filium Saloninum pertinent, ea uero, quae secuntur: *transisse decennium imperium Gallieni satis clarum est. quod idcirco addidi, quia multi eum imperii sui anno [nono] perisse dixerunt etqs.* ad patrem filiumque pertinent. primum valde mirum de nomine Salonini ambiguo nec non de annis imperii bis agi hoc, de quo sermo est, loco et paulo infra (p. 88, 22). deinde apparet eis quae adhuc inferiore loco leguntur, post ex *quo nomen eius intellegi poterit* insertis et uitium illud narrationis aboleri et orationem planam et simplicem nasci. jam Eyssenhardtius recte intellexit conclusionem totius uitae contineri his, quae in mss. post finem c. 2 (p. 88) leguntur, uerbis: *nunc transeamus ad triginta tyrannos, qui Gallieni temporibus contemptu mali principis extiterunt. de quibus breuiter et pauca dicenda sunt. neque enim digni sunt eorum plerique, ut uolumen talium hominum saltim nominibus occuparetur. quamuis aliqui non parum in se uirtutis habuisse uideantur, multum etiam rei publicae profuisse.* idem vero uir doctus, quod haec uerba e loco suo in fine c. 3. transposuit, non recte fecit. primum enim eo, quo ferebantur, loco aptissima erant, deinde tantum abest, ut difficultas supra dicta tollatur, ut noua insuper addatur. etenim uerba laudata, eo, quo Eyssenhardtius detulit, loco nexu prorsus carent. omnia uero plana fiunt, si statueris his uerbis uitae conclusionem exhiberi, ea uero, quae post hanc conclusionem in mss. feruntur, capiti 1 inserueris ita: *fuit denique hactenus statua in pede montis Romulei, hoc est ante sacram uiam inter templum Faustinae ac Vestae ad arcum Fabianum, quae haberet inscriptum 'Gallieno iuniori' 'Salonino' additum, ex quo nomen eius intelligi potuerit. tam uariae autem* (ita scribendum, libri *item*) *opiniones sunt de Salonini nomine* etqs.

SATVRNINI

c. 9 (p. 209, 10): *flebat, inquit* (scil. auus meus), *et dicebat necessarium, si non adroganter dicam, res publica uirum perdidit.* quid? res publica uirum perdidit neque potius illi qui eum imperatorem fecerunt? quare nullus dubito, quin scribendum sit *necessarium, si non adroganter dicam, rei publicae uirum perdidistis.* cf. Cari c. 10 (220, 1): *quem uir rei publicae necessarius Augustus Diocletianus habitis conflictibus interemit* et saepius. ceterum perfectum *perdidistis* esse ponendum ex eis, quae secuntur, collegi: *ego certe instauraui Gallias, ego a Mauris possessam Africam reddidi, ego Hispanias pacaui, sed quid prodest? omnia haec affectato semel honore perierunt.*

PROCVLI

c. 13 (211, 11): *hic tamen cum etiam post honores militares [cum] se inprobe libidinose tamen fortiter regeret* etqs. Peterus pro *regeret* substituit *ageret*, mihi uero propius ad scripturam librorum accedere uidetur *gereret.*

CARI

c. 2 (215, 3): *et ut a Romulo incipiam uero patre ac parente rei publicae* etqs. pro *uero* maluerim *uere.*

CARINI

c. 15 (223, 12): *in eius* (scil. praefecti praetorio) *locum Matronianum ueterem conciliatorem fecit [unum ex his notariis], quem stuprorum et libidinum conscium semper atque adiutorem habuerat.* uerba uncis inclusa expungenda uidentur. etenim illud *his* quo referatur, non uideo, praesertim cum addatur *quem* etqs., quare iam Peterus coni. *ex suis*, sed cum paulo superius legantur: *praefectum urbi unum ex cancellariis suis fecit* mihi persuasum est haec uerba librario cuidam deberi, qui putaret illum quoque conciliatorem fuisse in numero ss. notariorum.

ADDENDA.

HADRIANI c. 2 (p. 4, 13): *fuitque in amore Traiani nec tamen per paedagogos puerorum, quos Hadrianus impensius diligebat, ... Gallo fauente defuit.* hiatum significaui. alio. quin ea, quae secuntur, uerba plane insana essent *quo quidem tempore cum sollicitus de imperatoris erga se iudicio* etqs.

ANTONINI PII c. 10 (p. 40, 15): *cuius auaritiam etiam mercedibus notauit.* corrige, si me audis, *satiauit.*

MARCI c. 8 (49, 8): nonnulla desunt. extant enim haec: *dabat se Marcus totum et philosophiae, amorem ciuium adfectans. sed interpellauit istam felicitatem securitatemque imperatoris prima Tiberis inundatio* etqs. *et* ante philosophiae positum admodum molestum est neque uero ideo delendum. potius statuendum post *philosophiae* incuria librarii quaedam interiisse.

c. 24 (61, 22): *capitales causas hominum honestorum ipse cognouit* etqs. legendum est, ni fallor, *honestiorum.*

COMMODI c. 9 (94, 9): *multos praeterea parauerat interimere quod per paruolum quendam proditum est* etqs. pro *paruolum* J. Cornelissen (Coniectanea latina Dauentriae 1870) scripsit *seruolum.* immo uero legendum *puerulum.*

c. 18 (100, 6): *qui senatum occidit, unco trahatur. qui innocentes occidit, unco trahatur. hostis, parricida, uere seuere.* pro *seuere* scribendum conicio *uere*, ut paulo inferius extat: *te saluo salui et securi sumus, uere, uere.*